



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

Laus Temperantiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

rebus animus multum in se latere praesidij, Deo semper auspice existimat.

Patientia est rerum aduersarum honestatis causa, perpressio voluntaria, & diuturna.

Perseuerantia est continuus vitae tenor in rebus honestis, & magnis.

Partes igitur fortitudinis sunt, moderatio in vtraque fortuna; aggressio rerum periculosa, ut hostium, latronum, ferarum, incendionum, &c. defensio urbium, armorum, vexillorum, &c. tolerantia animi molestiae, dolorum corporis, mediae, sitis, morbi, laboris, algoris, vulnerum, verberum, tormentorum, ignium, paupertatis, ignominiae, naufragiorum, &c.

#### Laus Temperantiae.

**F**ranum porra aureum temperantia, quae *ἢ τὴν ἀδύνασιν πολυφάνειαν πείθει νόον*. Est enim rationis in libidinem, atque in alios non rectos, animi impetus, firma, ac moderata dominatio.

Temperantiae partes tres sunt, continentia, clementia, & modestia.

Continentia est, qua ratione, & consilio continentur cupiditates.

Clementia, lenitas in puniendo.

Modestia est pudor honestus, & in honoribus moderatio.

Huius igitur munus est, frangere cupiditates, maxime venerem, linguam, gulam, itam: frugalitatem, & sobrietatem exercere in cibo, potuque, abstinentiam à cupedijs, & opiparis condimentis, alios praeterea ad temperantiam incitare verbis, exemplo, legislatione, interdico, frui temperantiae commodis, flore, & integritate corporis, suauitate castimoniae, declinare prauas consuetudines, libros obscenos, cantiones, imagines, spectacula impudica, integrum castimoniae florem tueri, studio literarum, labore corporis, abstinentia, siti, inedia, modesto vestitu, fuga, & latebris.

Nonnulla assequutus est Latinus Pacatus, insignis orator, in Panegyrico Theodosij.

An quis ferret moleste, ad Principis senis modum coereeri? aut subtractum doleret sibi de priuata luxuria, cum videret Imperatorem rerum potentem, terrarum, hominumque dominum, patere, contentaeque viuentem, modico, & castrensi cibo ieiunia longa solantem? Ad haec aulam omnem Spartanis gymnasijs duriores, laboris, patientiae, fru-

galitatis exemplis abundantem neminem inueniri, qui auderet ad penum regium flagitare, remotorum litorum piscem, peregrini actus volucrem, alieni temporis florem, & caetera plane egregia.

Tandem addit: Tuz, Imperator, epulae mensis communibus parciores locorum, ac temporum fructibus instruantur. Hinc certum in omnes luxuriae pudor, parcimoniae cultus inoleuit, & quiescentibus legum sumptuariarum minis, subit quandoque priuatum sui poenitentia.

#### Laus Clementiae.

**C**lementia Dei natura est, virtus una ex *Clementia Dei natura* omnibus maxime amabilis, in cuius commendationem extat preclara Theodotij oratio, de humanitate Theodosij Imperatoris, habita in Senatu.

Nonnulla item attigit Chrysof. in orat. Flauiani, homil. 20. ad populum Antiochenum.

Multa quoque, & praecleara habet Claudianus in Panegyri Manlij Theodotici, iuxta vers. 210.

Sed quis artifex laudem clementiae melius tyrones docebit quam M. Tullius orat. pro M. Marcell. nu. 8.

Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudinem innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti, quae & naturam, & conditionem, ut vinci possent, habebant.

Nulla est enim tanta vis, tanta copia, quae non ferro, ac viribus debilitari, frangi que possit. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: haec qui facit, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.

Hanc eandem virtutem egregie laudat Aristides in panegyrico Marci Aurelij Antonini ubi ait;

*Ἡμερότητι, καὶ ἐπιεικείᾳ διήνοχετο ἀπάντων βασιλέων. ὥστε μικρὸν ἢ οἷα πατρὸς, μικρὸν δὲ οἷα ποιμὴν τῶν ἄλλων εἶπετ' ἄνακτος.*